

Hermann Lembke

**Programma Quo Rector Universitatis Rostochiensis Hermannus Lembke/ I.U.D. & Cod. Professor Ad Funus Quod Viro ... Dn. Nicolao Keylen/ Academiae huius Typographo, Liberi moestißimi Hodie ad horam 1. pomeridian. parere constituerunt; Omnes Et Singulos Academiae Cives Peramanter Invitat**

Rostochii, 1655

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn771012462>


Druck Freier  Zugang



12.  
Lemke, H.  
in N. Keyl.

Rost. 1655.
















PROGRAMMA

QVO

RECTOR

Universitatis Rostochiensis

HERMANNUS Lembke/

J. U. D. & Cod. Professor,

AD FUNUS

Quod

VIRO

*Integerrimo ac honestissimo*

DN. NICOLAO Reysen/

Academiae hujus Typographo,

*Liberi maestissimi*

Hodie ad horam pomeridianam,  
parare constituerunt;

OMNES ET SINGULOS ACADEMIAE CIVES  
PERAMANTER INVITAT.



ROSTOCHII, Anno M. DC. LV,





Rca, quæ iræ caelestis  
præco acerrimus, idemq;  
spectator mœlissimus  
NOAH, per aliquot men-  
ses totius terrarum orbis  
ruinis supernavigavit; &  
festum tabernaculorum,  
quod Judæi, post quadra-  
ginta annorum continuos errores, fixam tan-  
dem ac stabilem sedem consecuti, celebrarunt,  
vitæ nobis nostræ perquàm illustre theatrum  
aperiunt. Quemadmodum enim NOAH na-  
vi istâ immanes inter bestias ac venenatos ser-  
pentes, interq; nymborum ac fluctuum fremitus,  
non potuit non terri plurimum, & vel  
emori præ timore tandem; sic nos in mortalita-  
tis hoc Oceano ita navigamus, ut modò hos, mo-  
dò illos adversitatum turbines, vel & undiq;  
conspirantes in nos procellas experiamur. Et  
quemadmodum Judæi per annos complures  
certis domiciliis destituti, expansa passim taber-  
nacula, & opere tumultuario confecta tugurio-  
la incolebant; ita nos quoq; quoad in his terris  
degi-



degimus, vagabundi potius atq; exules sumus  
in viâ, quàm ut cives in patriâ dici mereamur.  
At verò nec fluctuatio ista perpetua, nec peregrinatio æterna est. Sicut enim NOACHI Patriarchæ navigium, post varias ac prolixas concussiones, tandem in vertice montis subsistere cæpit; & Judæorum exilium seu peregrinatio post quadraginta annorum curriculum cessavit; ita suam quisq; divinitus præscriptam habet metam, ad quam ubi primum lapsulerit, è vestigio fluctibus erroribusq; ereptum quies suscipit & perennatura felicitas. Exemplo est, nè longè abeamus, NICOLAUS KILIUS, Vir honestissimus, Academia nostræ Typographus; qui, post varias vitæ hujus mutationes & molestias, terminum tandem suum & malorum finem assecutus est. Hic quùm typis ante suis tot mortuorum funera indixerit, jam, mirâ rerum vicissitudine, suo ipsius idem ab eisdem officium; à nobis verò etiam operam nostram expetit, non denegandam profectò homini, si vel maxime vovere non ita pridem meminerimus, uti, labente Rectoratu nostro, neminem amplius injucundâ ac lamentabili scriptione prosequeremur. Ingressus igitur est NICOLAUS noster curarum hoc mare, ac mæroris desertum GRYPHISWALDIÆ, celebri POMERANORUM urbe ac Academia;



demiâ; integerrimis natus parentibus: Patre  
quidem Jochim Kehl / Naupego; Matre verò Ca-  
tharina Budden. Avus ipsi paternus fuit Paul  
Kehl / Agricola; Avia paterna Dorothea Michelsen:  
Avus maternus Claus Budden; Avia materna El-  
sabeth Zegebaden. Labe originis infectum, nec aliâ  
in hanc lucem conditione, quàm quâ ipsi quon-  
dam nati forent, prodisse noverant parentes  
optimi. Initio igitur Baptismi salvifica aquâ lo-  
tum ac regentum, piè deinceps honestèq; edu-  
candum curarunt. Unum illi idq; ingens mox  
malum accidit, quòd Patre admodum puer or-  
baretur. At divinâ, quæ nunquam Orphanos  
destituit, curâ factum est atq; providentiâ, ut  
reperirentur, qui jacturam sarcirent, ac vicem  
ei parentis essent; quos inter merito suo nume-  
rare est *Virum Cl. & Experimentissimum* Dn.  
D. Everts / Medic. in Acad. Gryphisv. Profess.  
qui non saltim favore eum suo complexus est,  
sed &, quâ unquam in re poterat, juvit; Qui  
etiam decimumquartum ætatis annum egres-  
sum, AUGUSTINO FERBERO, Juniori,  
eo quidem tempore Gryphiswaldensi, postmo-  
dum verò apud nos *Amplissimi Senatus* Typogra-  
pho, nobilissimam & plane *θεοδωρον* artem docen-  
dum tradidit. Sexennio disciplinæ atq; mini-  
sterii (ita moris apud ipsos) exacto, ut, quæ du-  
rante



rante eo didicerat, exercendo perficeret aut per-  
sequeretur, Anno 1620. Regiam Danorum Ur-  
bem, *Haffniam*, petiit, ibidemq; à GEORGIO  
*Hanschen* / verè tandem manumissus ac rude do-  
natus, *Hamburgum*, *Lubecam*, *Lunaburgum*, *Ste-  
tinum*, & ad loca alia progressus est. Tandem  
*Haffniam* repetiit, ubi ob vitæ integritatem, ac  
singularem artis suæ peritiam nemini non cha-  
rus extitit; celebritatem verò etiam ex posteri-  
ori tantam indeptus est, uti Anno 1635.  
à Magnifico Dn. Rectore, Reverendoq; Con-  
cilio, Academiæ nostræ Typographus vocatus  
ac constitutus sit. Qvam spartam per viginti  
integros annos gnaviter satis, cumq; non levi KL-  
LIANI hominis propagatione exornavit. Se-  
quenti 1636. anno thori vitæq; sociam delegit *ps-  
dicissimam* & *virtutibus ornatissimam* CATHARI-  
NAM von der Bieden; *Johann Havemans* / p. m.  
relictam viduam, quæ toto conjugii ( unde vi-  
ginti id annorū erat ) tempore officiosa in omni-  
bus ac obsequiosa marito, nullam rixarum aut  
seqvioris animi ansam præbuit; & verò etiam ter-  
norum liberorum parentem fecit; è quibus solus  
JOHANNES superstes, cum reliquos fata du-  
dum abstulerint sua. Cæterum, ut subinitium  
dicebamus, omnium rerum modus est, & certi



fines, quos ultra citraque consistere nequeunt. Imò  
verò in humanis præcipuè quæque & initiū habent,  
& quotidie per gradus ad finem eunt, præeunte  
Domini disponentis providentiā, quam quisquis  
animo præsentis ac minimè turbato sequitur, ma-  
ximā itineris & rei molestiā effugisse videtur. Ex  
captivis Sogdianorum apud ALEXANDRUM  
M. triginta nobilissimi, corporum robore exi-  
mio præditi, erant, qui ut per interpretem cog-  
noscerent, jussu Regis ad supplicium sese tra-  
hi, carmen lætantium more canere, tripudiisque  
& lasciviori corporis motu gaudium quoddam  
animi ostentare cæperunt. Admiratus Rex tan-  
tā animi lætitiā mortem oppetere, evocari eos  
jussit, causam tam effusæ lætitiæ, cum suppli-  
cium ante oculos haberent, sciscitatus: Illi, si  
ab alio occiderentur, tristes morituros fuisse,  
respondent; nunc à tanto Rege victore omni-  
um gentium majoribus suis redditos, honestam  
mortem, quam fortes voto quoque expeterent,  
carminibus sui moris lætitiæque celebrare. Quid  
Christiani faciemus, ipso Deo nos ad vitæ exi-  
tum vocante, cum Ethnici, & barbari quidem,  
magnitudine Regis, sed hominis tamen, paullo  
post obituri, inducti, mortem sibi gratularentur?  
KILIUS sane hic noster non aliā, quam eā  
mente



mente & fuit, & obiit: Cùm enim post denatam  
conjugem, cui novem saltim septimanas super-  
vixit, ipse quoque malè, imò toties, quoties ad  
eum inviseres, pejus habere inciperet; & verò  
in primis 9. hujus Aprilis die, subitâ graviq; ægri-  
tudine corripere, quæ omnem etiam Medici  
operam atq; industriam respueret; ita se ad vo-  
cantis Dei nutû composuit, ut, postquam cælesti  
cænæ Dominicæ medicamine animam, quum  
terreno auxilio corpus nequisset, refecerat, si-  
ne gemitu inter preces ardentissimas, piæq; fi-  
ducia, Redemptoris passionem respicientis, ple-  
nissimas Deo creatori Spiritum, à quo acce-  
perat, redderet, ipsâq; Paschatis die circa 5. po-  
meridianam portum tranquillitatis nanciscere-  
tur, postquam quinquaginta quatuor annos in  
hoc mundanarum vicissitudinum pelago jacta-  
tus fuisset. Viri hujus obitus non fratri solum,  
sed & liberis maximè, ac propinquis acerbus  
haud dubiè accidet; qui tamen ipsi etiam suam  
voluntatem divinæ providentiæ subjicient, &  
ab eâ nihil, nisi quod piis benè cedat, expecta-  
bunt, adeoque marori ac desiderio suo modum sta-  
tuent. Nos, cum nihil jam aliud possimus, merito-  
rum atq; officiorum, quibus Academicam nostrâ  
Rempubl. sibi devinxit, memoriâ, extremum

exc



exequiarum honorem prompti & frequentes ei  
deferemus. Idq; non solum, ut suam sibi mor-  
talitatem ob oculos eâ operâ quisq; ponat, sed  
vel præcipuè condolentiam suam tristissimo fra-  
tri, liberis, &c. gratitudinem verò ipsi etiam de-  
functo contesterur. Qvod qui facturi sunt ex  
iis, qui nostram jurisdictionem agnoscunt (ut  
autem faciant, officiosè ipsos invito, ac studio-  
sè moneo) hodiè horâ I. in templo Jacobæo  
convenient, votoq; atq; expectationi no-  
stræ non frequentia saltim suâ, sed & debitâ  
modestia respondebunt. P.P. sub Sigil-  
lo Academiæ, die 20. April.  
Anno 1655.






















rante eo didicerat, exercendo perficeret a  
sequeretur, Anno 1620. Regiam Danoru  
bem, *Haffniam*, petiit, ibidemq; à GEO  
Hanschen / verè tandem manumissus ac re  
natus, *Hamburgum*, *Lubecam*, *Lunaburgu*  
*tinum*, & ad loca alia progressus est. T  
*Haffniam* repetiit, ubi ob vitæ integritat  
singularem artis suæ peritiam nemini n  
rus extitit; celebritatem verò etiam ex  
ori tantam indeptus est, uti Anno  
à Magnifico Dn. Rectore, Reverendo  
cilio, Academiae nostræ Typographus  
ac constitutus sit. Qvam spartam pe  
integros annos gnaviter satis, cumq; non  
LIANI hominis propagatione exornav  
quenti 1636. anno thori vitæq; sociam de  
dicissimam & virtutibus ornatissimam CA  
NAM von der Wieden; Johann. Havem  
relictam viduam, quæ toto conjugii  
ginti id annorū erat) tempore, officiosa  
bus ac obsequiosa marito, nullam rix  
seqvioris animi ansam præbuit; & verò  
norum liberorum parentem fecit; è qu  
JOHANNES superstes, cum reliquo  
dum abstulerint sua. Cæterum, ut si  
dicebamus, omnium rerum modus e.

A 3

